

hic numerus non est quadratus, ex eo quoque non nisi proxima radix extrahitur, quam Archimedes sumsit partium 22. ex quadrato scilicet proximo 484. Quid ergo opus est, ut tam indigne in Archimedem nonnulli inuehantur, quasi multum hallucinatus sit in ostendenda proportione diametri ad suam circumferentiã: non enim hoc inuentum iactat Archimedes pro vera demonstratione, siquidem aperte profitetur, hanc esse proximam proportionem, ex principiis mechanicis desumptã. Obiicitur ab Aristarchis, subtenfam esse radicem surdam de quadrato 490. itaque conuenientius fore, ut dicamus, longitudinem perimetri æqualem esse Radici quadrati illius, quod decuplũ sit quadrati a diametro descripti. Verum Archimedes vsui mechanico consulere voluit, proinde Radicem proximam extrahendam esse iudicauit. Adhæc si maxime demonstracionem aliquam geometricam iactare voluisset, & dixisset, quadratum a diametro descriptum & decuplatum exhibere Radicem, cuius longitudo æqualis sit perimetro: nemo tamẽ credidisset, hæc esse demonstracionem, cum eius probatio ex sola epharmosi pendeat. Habemus igitur, quid Archimedes princeps mechanicorum sentiat de proportione inter diametrum & eius circumferentiam: si enim diameter in septem partes æquales diuidatur, & tales viginti duæ partes æquales in lineam rectam extendantur, hanc vtique lineam rectam partibus viginti duabus constantem dicit re-

cit re-